



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1566 usque ad annum 1572

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118634

§. 23. Sanctus Carolus Borromæus hæreticos reprimere a Papa jussus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67213)

§. XXIII.

Sæcul. XVI.
A. C. 1568.

Sanctus Carolus Borromæus hæreticos reprimere a Papa iussus.

Postea Pius V. nuntium acceperat, *Guiffan. vie de S. Charles l. 2. c. 15.* quod quædam Italiæ urbes hæresis essent infectæ, ac Prædicatorum nonnulli perniciofa doctrina plurium animos depravarent, quin huic malo Inquisitores remedium opponere possent, cum eorum factio nimia potentia valeret, hinc idem Papa Carolo Borromæo Mediolanensi Archiepiscopo præcepit, ut eo contenderet, atque ejusmodi corruptelis prospiceret: igitur Sanctus hic Præsul implorata Divini Numinis ope cunctis suis Clericis, ac populis communes preces fundere mandabat, ut a Deo auxilium ipsi necessarium impetrarent: porro postea Mense Februario Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo octavo Mediolano profectus cum tanta prudentia, moderatione, ac circumspèctione hoc negotium pertractabat, ut rei validis ejus rationibus convicti, atque ipsius lenitate, qua animos captare studuerat, expugnati, ejusque magnam auctoritatem reveriti sese subjicerent, suamque hæresin ejurarent: ubi pariter Sacræ Inquisitionis tribunal hujus Sancti Præsulis auctoritate denuo

S 5

fuit

Sæcul. XVI
A.C. 1568.

fuit instauratum, atque illi, qui ex hæreticis magis seditiosi erant, profane jurisdictioni traditi, & tanquam quietis publicæ perturbatores fuere castigati.

§. XXIV.

Sanctus Carolus tres Helveticæ ditionis valles perlustrans.

Guiff. l. c.
cap. 13.

Sub idem tempus Sanctus Carolus nem imposuit Episcopali suæ visitationi, qua Septentrionem versus suam lustrabat Diœcesin, quæ longius ad Alpes usque ad Sancti Gothardi Montem se extendebat. Ingrediēbatur Carolus tanquam verus Apostolus tres valles, quæ vulgo Levantina, Bregnensis, & Ripariana appellabantur, erantque trium Helveticarum tribuum, Uriensis, Sultiensis, & Sylveniensis imperio obnoxia: priusquam vero eo penetraret, potius Helvetiorum benevolentiam, ne eorum animos exacerbaret, sibi conciliare nitebatur, hinc ad eos, qui horum Pagorum nomine huic ditioni præerant, literas mansuetudine, ac charitate plenas dabat, suumque eis propositum de lustranda hac Diœcesis suæ parte exponens illos rogabat, ut quosdam Viros auctoritate conspicuos ei submitterent, qui toto visitationis suæ tempore illum comitarentur. Hæc agendi